

quem sancti Leonis Magni exstat epistola. Hic cum episcopatum cepisset, postquam Hunni, Attila duce, eam regionem vastaverant, vix statu rerum ad meliora converso, nonnulli cives a barbaris in captivitate abducti, liberi ad patriam remearunt, illico deprehendit ex occasione hostilis incursus plura gregi suo illata fuisse vulnera, quæ magnam curationis difficultatem videbantur afferre. Aliorum enim, qui interempti putabantur, mulieres novis erant conjugii irretitæ; alii immolatis cibis asserebantur esse polluti; alii iterato, vel semel quidem, sed ab hæreticis fuerat baptismum collatum. Itaque hæc omnia, per Adeodatum Romanæ Ecclesiæ diaconum, ad sanctum Leonem Magnum retulit, ut auctoritate nuntique ejus quid facto opus esset doceretur: qua in re et eximie erga populum suum charitatis, et maturi judicii, et debiti in primam sedem obsequii præclarum exhibuit argumentum.

LECTIO V. — Ad singulas solliciti præsulis consultationes respondit sanctus pontifex peculiari epistola Nicetæ Aquileiensi inscripta, quam et ad omnes fratres et comprovinciales episcopos ejus per ipsum voluit pervenire. Ac de feminis quidem, quæ aliis nupsent viris, legitimarum fœdera nuptiarum redintegranda constituit, et idolo thitis usus pœnitentiæ satisfactione purgari; quæ tamen non tam temporis longitudine, quam cordis esset compunctione pensanda. Eos autem, qui ad iterandum baptismum vel metu coacti, vel errore traducti fuerant, per pœnitentiæ eidem remedium, habita moderatione, et iudicio episcopi, communionis voluit recipere unitatem: ac demum vel semel tantum, sed ab hæreticis bap-

zatos, sola invocatione sancti Spiritus per impositionem manuum statuit confirmandos. Nicetas itaque hac instructus ex veteri more a Romana sede doctrina, pro suo, quo exarserat, instaurandis disciplinis studio, necnon et pro ea, quæ erat affectus erga cathedram Petri reverentia, ad præteritorum errorum maculas abstergendas, quos bellica cladis interal, totus incubuisse merito creditur, ut Ecclesiæ suæ faciem ad pristina observantia dignitate restitueret.

LECTIO VI. — Quæ veromagis magisque illius vigilantiam in cura commissi sibi gregis ostendunt, ac simul ipsius eum Evangelicæ prædicationis laude doctrinam commendant, ea sunt ingenii monumenta, quæ Gennadio Massiliensi et Honorio Augustodunensi testibus, nitido ac implisi sermone exarata reliquit; quorum tamen vix unum aut alterum non interit. Ediderat autem competentibus ad baptismum instructionis libellos, jam tum plurimi factos, et aliis hujusmodi præstantiorum Patrum hæc ubi rationibus sociatos, in quibus et de competentium ratione, qui ad baptismi gratiam cupiunt pervenire, et de gentilitatis erroribus, et de fide unice Majestatis, et contra Genethliologiam, et de Symbolo, et de agni Paschalis victima dissertebat. Libellum insuper ad lapsam virginem condidit, qui pene omnibus lapsis emendationis incentivum ab iisdem scriptoribus vocatur. Has inter pastoralis officii sollicitudines, cum triginta circiter annos Aquileiensem episcopatum administrasset, doctrina sanctisque moribus clarus ad pastorum principem evolavit, anno quadringentesimo octogesimo quinto.

SANCTI NICETÆ

EPISCOPI AQUILEIENSIS

DE RATIONE FIDEL.

1. Renatis hominibus per fidem, et sanctificatis secundum Evangelii formam in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et per hanc confessionem regnum celeste sperantibus, nihil magis utile esse dixit Apostolus, quam ut his honorum sit operum cura. Sic enim scribit ad Titum: *Et de his volo te confirmare, ut curam habeant bonorum qui credunt in Deo. Hæc sunt, inquit, bona et utilia hominibus. Stultas autem questiones et genealogias et rixas et pugnas legis devita; sunt enim inutiles et vanæ* (Tit. iii, 8). Hæc scribens beatus Apostolus, jam tunc prævidebat futuros homines qui per curiositatem et questiones inutiles curam bonorum operum prætermisuri erant; et pacem, quam Dominus Ecclesiæ suæ reliquerat, perdi-

turi. Namque homines, qui dum alta sapere conantur, nec humilia intelligere perarantur, oblitum Apostoli, *Noti alta sapere sed time* (Rom. xi, 20), sic dum illicita præsumunt, etiam licita perdidit. Isti sunt qui cum nec fabricam cœli et terræ sensu colligere et capere valeant, ipsum conditorem et fabricatorem Deum capere et mensurare contendunt; et quem debent per operum magnitudinem et tantarum rerum immensitatem solummodo et simpliciter adorare, in questionem mittunt; et de qualitate mysterii ejus ac de quantitate disputant, dicentes: *Quantus Pater? qualis Filius? cujusmodi Spiritus sanctus? O homo, nondum te ipsum cognoscens, audes divina metiri?*

Vulgata novi Testamenti editio, ut carent bonis operibus præesse. Utitur ergo Nicetas (sicut etiam in Explanatione Symboli) antiquiore Bibliorum interpretatione, quæ a vulgata sæpe recedit; qui autem ejus interpretationis reliquias studiose conquirunt, ad

Nicetam quoque nostrum esse fractu jam respicient; ejus reigralia locos editionis vulgatæ in margine demonstravi. [Nos intra parentheses in textu descripsimus. Edit.]

2. Et quidem tacere de Sabellio Patripassiano, qui a statuta presumptione non est dicere ipsum esse Patrem qui est Filius; ipsum etiam esse Spiritum sanctum: et nomine tantum esse Trinitatem, non etiam veritate; nec personis subsistere, sed sola nomenclatione ac sic totum confundit, cum ipsum Patrem corpus sumptum et passum esse confingit. Tacere de Photino, qui audiens unigeniti Filii Dei incarnationem, humilitatem, passionem quoque illam salutiferam nobis, hominem tantum eum putavit; Deum autem, quem debuit ex ipsis operibus agnoscere, denegavit: oblitus dictum Apotoli dicentis: *Quia cum in forma Dei esset Christus, formam servi accepit; ut nobis, uti servis peccati daret libertatem* (Philip. II, 8). Et ad Corinthios: *Scitis, ait, gratiam Domini nostri Jesu Christi, quia propter nos pauper factus est, cum esset dives, ut ejus paupertate divites essetis* (II Cor. vii, 9). Tacere ergo tam de Sabellio quam de Photino; quia ab omnibus fere ecclesiis dignam errori suo sententiam detulerunt.

3. De hac heresi, quae nunc fidei catholicae calumniatur, pauca dicere postulastis; de hac utique heresi, quae ab Ario auctore exorta est. Hic namque non fuit contentus Evangelicis vocibus, apostolorum predicationibus, quae utique Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum sonant: nec dignatus est ita, ut dignum est, credere, quia Pater habet Filium, et Filius vere habet Patrem: sed eum se extendit infelix, et vult inquirere quomodo et qualiter Deus potuit generare, modum non apprehendens, quia nec comprehendere potest, cecidit in errorem, ut et Patrem denegaret et Filium. Sic autem negat Patrem, quia dicit eum non potuisse de se proprium et verum Filium generare: Filium vero sic negat, dum eum aliunde et de nullis exstantibus dicit factum esse potius quam genitum; et creaturam esse quamdam, quae meruit propter charitatem Filium appellari; non autem vere esse Filium qui de Patre sit genitus: et inde est quod alterius eum substantiae commentus est, ne omnino Patris verus Filius esse credatur. Contra hanc ergo ejus perversitatem et novam doctrinam facta est Nicæna synodus, ubi omnibus collatis et decursis scripturis, veritas manifestata est, scripta est. Nam denique Filium, quem Arius dixerat aliunde esse et non de Patre, neque de substantia Patris, id est de eo ipso quod Deus est, sancti patres nostri professi sunt natam de Patre, hoc est de substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natam non factum, unius substantiae cum Patre; ut nulla utique diversitas credatur in Filio. Revera

utique si verus est Dei Filius, et vere de Deo Patre est genitus, non ulique alterius substantiae est credendus, nisi ejus cujus est filius ut sicut Pater Deus est, ita Deus sit Filius; et sicut lumen Pater est, ita lumen sit Filius.

4. Sed offendit aliquantos haec ipsa professio, qua creditur Filium ejusdem esse substantiae, et per calumnias professio sancta torquetur. Nam sic interpretantur unius substantiae dictum, quasi nos divisum dicamus Patrem; et pars Patris sit Filius; et Deus Pater si imminutus in Filio; vel certe per fluxum et derivationem Filium paternae substantiae retineat unitatem. Quod absit non solum a sensibus, sed etiam ab acribus Christianis, ut tale aliquid in mentem nostram veniat. Nos autem sic unius substantiae credimus Filium, ut Patrem credamus in sua aeternitate perfectum, in sua quoque impassibilitate manentem, ita Filium generasse, ut non passionem aliquam vel diminutionem senserit sui naturae suaeque majestatis, sed perfectus ipse perfectum de se generante omnia saecula verum Filium omnipotentem, per quem scilicet omnia facta sunt, sine quo factum est nihil: ut verus Pater unigeniti Filii sui; et verus Filius Patris esse credatur, non confusus, sed distinctus; omnia tamen habens in se Filius quae sunt Patris, sicut ipse ait in Evangelio: *Omnia, quae habet Pater, mea sunt* (Joan. xvi, 15). Quae illa omnia? utique virtutem, utique potentiam, bonitatem, incorruptelam, gloriam et aeternitatem, sicut habet Pater. Caterum si haec non erant in Filio, veros dicere, Pater in Filio degenerasse videatur. Et si hoc ita est ut degener Filius aestimetur, quomodo idem honor ipse dicente Domino, *ut homines honorificent Filium sicut honorificant Patrem* (Joan. v, 24)? Hoc exigit Dominus, hoc exhibent fideles: nec scandalizatur de humilitate Filii Salvatoris, nec de verbis ejus quae secundum hominem locutus est; neque de passionibus, quae propter mundi salutem implere dignatus est: sed per haec ipsa plus se gratiae, plus honoris debere sentiunt Christo: ut et si non esset praeceptum in Evangelio ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem, ultro hoc facerent fideles: quia ille qui se humiliare dignatus est, exaltari debuerat, sicut scriptum est, *Qui se humiliat, exaltabitur* (Luc. xiv, 11).

5. At cum Pater dicat, *Hic est Filius meus*, hunc laudate (Matth. iii, 17). Filius dicat, *Ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem* (Joan. v, 23); quae caecitas mentium est, intermissa honorificentia, contumelias concinnare? quae oblivio spei est, infir-

* Cod. hoc loco mendose, *Fotiniario*; sed recte alibi.

† Ita cod., non qui.

‡ Cod. hoc loco *haeresi*, at superius *haeresi*.

§ Ambrosius contra Palladium lib. II, cap. 8: *Haec est causa erroris, haec origo haeresis Arianæ, dum non intelligunt virtutem Dei, neque tanti sacramenti dispositionem agnoscunt, ut Deum humanis conditionibus comparent. Quae verba cuncta adamussim exscribit Phœbadius contra Ar. opuse. II, cap. 8. (Vid. Patrol. nostrae tom. XX.)*

¶ Cod., *Nicæa*.

† Post hoc vocabulum scribitur in codice *id est de eo ipso quod Deus est*; tum huic commati linea subscribitur, quia scilicet expungitur, utpote mendosa superioris commatis repetitio.

‡ Epithetum *impassibilis* additum fuisse vocabulo *Dei Patris* in symbolo Aquileiensi, notat Rufinus in sua explicatione. En igitur Nicetas Aquileiensis secundum suae Ecclesiae symbolum hic loquitur.

§ Ad ceteros novi Testamenti codices, qui habent hoc additamentum *hunc laudate*, nunc accedit Nicetas qui in suo ita legebat.

rum et minorem et contemptibilem^a aestimare Christum, qui nobis fortitudinem et magnitudinem et gloriam secundum Patris sui contulit voluntatem? Crede mihi; Filii honor dignitatis Patris est; quantum detuleris unigenito, tanto magis amplificabis gloriam Patris. Bonus Pater non invidet gloriam Filio; quia omnis gloria Filii recurrit in Patrem. Hic est catholicus sensus, hæc devotio fidelium, hoc studium sanctorum. Secundum hæc, omnia dicta et facta Salvatoris intelligunt, et intelligentes loquuntur. Nec omnino impediuntur ad hanc devotionem per illa quæ Domini voluntatem videntur ostendere: ut puta, *Pater major me est* (Joan. xiv, 28); et, *Non veni facere voluntatem meam* (Joan. vi, 38); et, *Filius a se nihil potest facere* (Joan. v, 19); et alia multa hujuscemodi: quæ omnia non infirmant Filium, neque depretiant, sed ad Patre^b distinguunt. Siquidem et hæc ideo sunt posita, ut vera ejus divinitas non negetur: *Ego de Deo Patre exivi* (Joan. xvi, 28); et, *Ego in Patre, et Pater in me* (Joan. x, 38); *Ego et Pater unum sumus* (Ibid., 30); et, *Qui me videt, vidit et Patrem* (Joan. xiv, 9); et *Sicut Pater suscitavit mortuos et vivificavit, ita et Filius quos vult vivificavit* (Joan. v, 21).

6. Sed nec illa fidelem animam scandalizant, quibus Dominus esurisse, dormisse, lacrymasse refertur; tunc, tristis usque ad mortem, crux, passio, sepultura: siquidem ad hoc sunt scripta et facta, ut et tolerantiae exempla præberentur, et vera ejus incarnatio nosceretur. Nam in eo quod esurisse Dominus dicitur, veri corporis assumptionem intellige. In eo autem cum quinque panibus et piscibus duobus, quinque^d millia hominum satiat, veram ejus divinitatem cognosce. Certe cum dicit: *Ego sum panis vivus qui de caelo descendi* (Joan. vi, 41), non cadit in sensum nostrum ut panis esurire credatur. Sic et de somno intelligendum est: quoniam sicut per^e somnum corporis veritas cognoscitur, sic per illud quod statim ventis et fluctibus imperat, vera ejus divinitas approbatur. Nam quod lacrymas super Lazarum fudit, fantasmatis suspicio tollitur; lacrymæ enim veri corporis sunt humores. Quod autem dicit, *Lazare, veni foras* (Joan. xi, 43), et statim ille qui jam ferebat, aperiens se terra, vivus emersit, magnum ejus divinitatis indicium est. Nam et illud quod ait, *Tristis est anima mea usque ad mortem* (Matth. xxvi, 38), ex hac ipsa Lazari resurrectione intelligi potest, qualiter debeat accipi: nec enim divinitas mortem metuebat, sed^d humanum affectum per tristitiam animi indicabat. Crux æque, passio et sepultura, s uno vel altero dicto Domini, discutiuntur, quominus ei impotentia vel infirmitas ascribatur. Cum dicit ad Ju-

^a Cod., *errare*, pro *aestimare*, quæ lectio emendanda mihi visa est.

^b Cod., *distingunt*, antiqua orthographia.

^c Ita cod.

^d Cod. cum unica *l*, antiqua orthographia.

^e Cod., *somnium*.

^f Miracula multiplicati panis, tempestatis sedatæ, Lazari revocati ad vitam, conjunctim memorat Nicetas etiam in explicatione symboli, ibidemque eadem fit comparatio humanitatis Christi infirmæ cum ejusdem potente divinitate. Est autem facta imitatio

A deos, *Solvite templum hoc*, utique corpus suum dicebat: *et ego in triduo suscitabo illud* (Joan. ii, 19). Et iterum ait, *Potestatem habeo ponere animam meam, et potestatem habeo iterum sumere illam* (Joan. x, 18).
^b Si corporis sui suscitavit templum, si potestas est ponendæ animæ per passionem et resumendæ per resurrectionem, cessat in Christo infirmitatis opinio, ubi tantæ potestatis sublimitas declaratur.

7. Omnia ergo pie intelligenda sunt; omnia honorifice sunt tractanda; utrumque in Dominoⁱ confitendum est; et forma in qua semper fuit, et forma servi, quæ accepta est propter servos, credenda est; et passio secundum carnem, et impossibilitas secundum divinitatem; ne aut impij^j aut ingrati judicemur. Nam qui Filium Dei, secundum id quod est, impassibilem negat, et Deo Patri dicit esse dissimilem; hic impius est. Et qui passiones ejus secundum carnem confiteri dedignatur, ingratus est. Gloriamur ergo in cruce Christi, sicut Paulus gloriari consuevit *Mihi*, inquit, *absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (Gal. vi, 14). Confiteamur unitatem, ut non separemur; ^k *Si enim mortui sumus, ut ait Apostolus, et convivemus: si sustinemus, et coregnabimus. Si negamus, et ille negabit nos* (II Tim. ii, 12). Si non credimus quod ipse dicit, *Ego et Pater unum sumus*, ille fidelis permanet, negare se ipsum non potest; quis in gloria Dei Patris est; quia vivit cum Patre; quia regnat cum Patre uno eodemque imperio. Sicut ait Apostolus, cum de omni impudico et immundo et avaro loqueretur, *Non erit, inquit, hæres in regno Christi et Dei* (Eph. v, 5); unum regnum tam Christi dixit quam Dei; quia una voluntas Patris et Filii; una cooperatio; una denique gratia, eademque gubernatio est: sicut idem magister gentium docet scribens: *Gratia vobis et pax a Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo. Et iterum: Ipse autem Deus et Pater noster et Dominus Jesus dirigat viam nostram ad vos* (I Thess. iii, 11). Non dixit *dirigant*, ne Patris et Filii diversitatem aut voluntatis, aut potestatis induceret; sed dixit *dirigat*, ut unitatem potius demonstraret. Hac igitur fide hisdem verbis et nos oremus ut Patris, Filii et Spiritus sancti una gratia, una pax, una etiam gubernatio semper nos et tueatur et dirigat.

Hæc pauca ad vicem commentarioli, quia vobis scribi postulastis. negare non potui. Confido quia fidelibus animis, etsi brevia sunt, plenam poterunt præstare lætitiâ Dei.

Explicit liber Nicetæ^l episcopi de Ratione fidei.
Incipit ejusdem de sancti Spiritus Potentia.

ex Nazianzeno orat. 35.

^g Cod., *una vel alterâ*.

^h Cod., *sic*.

ⁱ Cod., *conficiendum*.

^j Alterum hoc *aut* deest in cod.

^k Corrigendum *commortui*.

^l Hic recte adest in codice vocabulum *episcopi*, quod amanuensis socorditer omiserat in titulo opusculi ante initium. Contra hic idem amanuensis prætermisit ante *Nicetæ* titulum *sancti*, quem recte posuerat initio opusculi.